



**Tractatus Exegeticus Ad Librum III. Decretalium Gregorii  
IX. Materiam successionis Testamentariæ, & Legitimæ,  
nec non Parochorum, Regularium, & Patronorum jura,  
aliaque ad rem Liturgicam spectantia ...**

**Scharz, Oddo**

**Salisburgi, 1740**

Titulus XLIX. De immunitate Ecclesiarum, Cœmeterii, & rerum ad eas  
pertinentium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63798](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63798)

peritus consideraverit, opus illius Magistri esse facile deprehendet, qui ex alienis ruinis Ecclesiam construere consulto meditatatur. Neque etiam nostra interest in Ecclesiam protestantium oculos conjicere, nam (ut est

apud Plutarchum *lib. de Curiosit.*) neque *justa*, neque *honestas*, neque *suavis* adeo est *ista inspectio*.

SUNT INTUS, HOSPES,  
SANE VISU TURPIA.

## TITULUS XLIX.

### *De immunitate Ecclesiarum, Cœmeterii, & rerum ad eas pertinentium.*

POST ædificationem, & reparationem Ecclesiarum, superest, ut de privilegiis, & immunitate earundem agamus. Est vero immunitas ad sensum hujus Rubricæ nihil aliud, quam jus, quo loca, res, vel personæ Ecclesiasticæ à communi onere vel obligatione liberæ sunt, & exemptæ. Covarruv. *lib. 2. Var. resolut. cap. 20. num. 1.* Panormit. *ad Rubr. h. t.* ideoque alia immunitas est *localis* de qua in *cap. 6. h. t.* alia *realis* rebus Ecclesiæ competens *cap. 7. h. t.* alia denique *personalis*, de qua in *cap. 4. Eod. cap. 8. de jud. cap. 1. de for. compet.* agitur. Nos commentationes nostras ad *h. t.* duobus paragraphis expediemus, in primo de immunitate *locali*, in altero de *reali* & *personali* magis necessaria allaturi.

#### §. I.

#### *De immunitate locali, sive jure Asyli.*

#### SUMMARI A.

1. Origo & causa immunitatis locali.
2. In Ecclesiis prohibentur nundinae, & negotiationes profanae.
3. Strepitus judiciorum secularium.
4. Maxime criminalium.
5. Reis ad eas confugientibus asylum præstatur.
6. Unde Bœbmerus hujus immunitatis originem petat, exponitur.
7. Falsitas ejus detegitur.
8. Immunitas hæc ortum suum ducit ex jure positivo, sacro, & profano.
9. 10. 11. 12. 13. 14. Loca sacra & profana hac immunitate gaudencia referuntur.
15. Jus asyli Ecclesiis tributum varia fata subiit.

Kkk

16.

16. Ab heterodoxis impugnatur. 17. Inter exceptos, qui jure asyli non gaudent, sunt latrones publici, & nocturni agrorum depopulatores. 18. Non etiam raptores Virginum, adulteri, & homicidæ simplices. 19. Rursum excipiuntur premeditatum mortem alteri inferentes. 20. Vel qui aliquem in Cœmeterio vel Ecclesia occidunt, aut membrum mutilant. 21. Non etiam, qui aliud delictum perpetrant. 22. Item proditorii homicidæ. 23. Assassini. 24. Heretici. 25. Criminis læsæ Majestatis rei. 26. Qui ex Bulla Benedicti XIII. excipiantur? 27. Heretici perstringuntur. 28. Omnes non excepti gaudent jure asyli. 29. Etiam illi, qui è manibus licitorum elabuntur. 30. Vel carceres effringunt. 31. 32. 33. Effectus immunitatis, & pœna in violatores statuta recensentur.

**L**oci Sanctitas, Divinorumque mysteriorum, quæ inibi peraguntur, altitudo & Majestas Ecclesiis hanc immunitatem peperit: sive, ut Zieglerus in *Not. ad Lancellot. instit. lib. 2. tit. 20. §. 1. num. 650.* inquit: *ut immunes Ecclesiæ habeantur, rerum divinarum suasit reverentia, quæ etiam hostes, ut parcerent, commovit frequentissime.* Vid. Grotius de *J. B. & P. lib. 3. cap. 12. §. 6.*

2 Prærogativæ hujus immunitatis complures sunt, quarum prima est, quod in Ecclesiis, & Cœmeteriis omnes negotiationes, & nundinæ profanæ, universitatum & societatum quarumlibet Concilia, Conciones, & publica Parlamenta, & multo magis foedera, & profana colloquia aut quæcunque confabulationes sub pœna judicii arbitraria prohibeantur, *ne (ut dicitur in cap. 2. h. t. in 6.) ubi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendantur peccata committi.*

3 Secundo contentiones & strepitus judiciorum sæcularium in Ecclesiis conquietere, & totus processus judicium sæcularium, eorumque prolata Sententiæ omni robore firmitatis care-

re jubentur *d. cap. 2. §. Ordinarii h. t. in 6.* sive deinde judicia civilia sint, sive criminalia, quia textus generaliter loquitur. Notat tamen Glossa *ibidem in V. Processus*, quod, cum S. Pontifex tantum processus annullaverit, contractus & negotia alia non quidem licite, valide tamen in Ecclesiis celebrantur, quia ejusmodi actus non ratione sui, sed ex circumstantia loci duntaxat prohibentur, & consequenter manent validi, utut illiciti, prout id latius ad *tit. de Constit. num. 55.* deduximus. Ratio vero, cur contractus potius sustineantur, quam judicia, illa assignari potest, quod illi non æquæ, ac ista cum strepitu & contentione expeditantur. Et ob hanc ipsam causam etiam actus *voluntaria jurisdictionis* à judicibus sæcularibus in loco sacro exerceri posse concedunt Panormitan. ad *cap. 5. h. t. n. 6.* Canisius *Eod. n. 4.* Barbof. *J. E. V. lib. 2. cap. 3. num. 10.* Ecclesiastica vero judicia à judicibus Ecclesiasticis indistincte haberi posse in Ecclesia elucet ex *cap. fin. C. 2. Q. 2. cap. 25. de Appelkat.* Quanquam & has causas extra Ecclesiam vel in Palatio Episcopi, vel in alio loco commodo discutere convenientius sit, ut com-

mu-

munis usus & consuetudo declarat. Addimus etiam ex Panormit. ad cap. 5. h. t. num. 6. & Canisio *ibidem* num. 8. quod negotiationes, per quas fidelium pietas promovetur, Ecclesiæ sanctitatem offendere non videantur. Hinc videmus candelas, rosaria, numismata vel in Templis vel Cœmeteriis juxta quorundam locorum consuetudinem vendi.

4 Tertio vel maxime prohibetur, ne Ecclesia Sanguinis forum efficiatur, non tantum sub pœna annullationis, sed etiam anathematis interminatione, quia Ecclesia DEI secundum Evangelicam veritatem domus Orationis esse debet, non spelunca latronum, aut sanguinis forum: *absurdum enim est* (ait Lucius III. in cap. 5. h. t.) *et crudele, ibi iudicium Sanguinis exerceri, ubi est tutela refugii constituta.* Hanc tamen censuram non ipso facto incurri, sed per Episcopum infligendam esse notat Tuschus *V. pœna Conclus. 238.*

5 Quarta denique, ac omnium præcipua immunitatis hujus prerogativa est, quod reis delinquentibus ad Ecclesias confugientibus præstetur securitas, quominus inde violenter abstrahi possint cap. 6. § 9. h. t. l. 2. § 3. C. de his, qui ad Eccles. confug. nam, si eos (sunt verba Lancelloti *Institut. lib. 2. tit. 20. §. 6.*) qui ad statuum principis se proripiunt, ab omni violentia leges seculares vindicant, quanto magis convenit ad templum Domini confugientes, loci sancti reverentia, et auctoritate defendi. Et hæc immunitas vocatur *ius asyli*, de quo privilegio cum potissimum variæ difficultates moveri soleant, nos principaliores per distinctas quæstiones resolvemus. Prius

tamen ex Bœhmeri Commentario ad h. t. quædam excerptare, & in medium afferre juvabit.

In §. 1. h. t. fontem immunitatis localis detegit, eumque in sanctitate Ecclesiis tributa constituit, in §§. seqq. distinguit Sanctitatem in *internam*, & *externam*, illam juxta nos orthodoxos consistere in Divina quadam qualitate, per solennem consecrationem rebus profanis indita, ait, ob quam tum in dominio solius DEI esse, tum singulari virtute Divina, ut res sanctificata pollere creditur; hanc vero in externa, & Ceremoniali quadam veneratione, & separatione loci ab usibus aliis communibus ad usum sacrum, quam destinatio simplex & arbitraria hominum eidem conciliat, sed juri humano non eximit, nec naturam ejus immutat, aut divinas qualitates ei parit. Priorem illam Sanctitatem, scilicet *internam* ab Ecclesiis abesse contendit, ac propterea suum quondam discipulum *Fridericum Reinbardum* commendat §. 5. quod is in *dissertatione inaugurali de Potestate Civili in templa §. 48.* sub ejus præsidio propugnata, hanc Sanctitatem Ecclesiis ab orthodoxis tributam *status Ecclesiæ corruptæ signum*, & à statu novi testamenti alienam esse docuerit. Deinde duobus suæ sectæ asseclis per complures §§. vehementer exprobrat, quod illi Sanctitatem *internam* Ecclesiarum propugnare, & hoc pacto crassissimum Papatum (familiare Bœhmero dictarium) reducere ausi sint, ac propterea illos gentilismi & judaismi reos facit. Sanctitatem econtra *externam* superius descriptam Ecclesiis deberi contendit, quæ tamen altioris ordinis haud sit,

ac illa Sanctitas est, quæ nonnullis rebus aut personis accommodatur, cuiusmodi sunt personæ Principum, Magistratum, parentum, patronorum, leges, residentia Principum, quæ ideo *sancta* vocantur, quod à violatione hominum speciali lege, aut sanctione & graviore pœna, quam ordinaria munitæ sint l. 8. ff. de R. D. Si causam quæras, cur Bœhmero illa sanctitas *internam*, quam orthodoxi per *consecrationem* Ecclesiis inesse tradunt, tam in visa sit, illam his verbis reddit hic §. 10. *Illius vero Sanctitatis, quam INTERNAM dixi, primarius est effectus, quod res talis DEO sit tradita, & ea de causa in ejus singulari dominio censeatur, nec tantum usu à rebus profanis separata, sed etiam proprietate.*  
 - - - Hoc vero posito, à sacrilegio vix excusari poterunt majores, qui templa plura, quod essent *superflua*, destruxere, eaque *seculares in usus adhibuere.* En vaferrimum hominis ingenium! eum videret, invasions, usurpationes, & profanationis templorum, & Monasteriorum, à Majoribus suis factas à mala fide, & sacrilegio nefando absolvi non posse, si dominium soli DEO in sacra hæc loca competere dicatur, quippe, quo fit, ut illa commercio hominum exempta res *nullius, jurisque Divini* evadant, ipsam *consecrationem*, per quam ejusmodi loca hominum commercio eximuntur, & in solius DEI dominium transeunt, tanquam *corrupta Ecclesie indicium* reprobendam censuit, more hæreticorum omnium familiari, qui, dum Ecclesie universalis auctoritatem, traditionibus, ac perpetuo Patrum consensu firmatam, sibi adversam experiuntur, cum aliter

eluctari, suosque errores tueri nequeant, negant traditiones, contemnunt Patres, ipsamque Ecclesiam corruptionis arguunt. Sed hoc est Andabatarum more pugnare.

Aliter de hoc dominio Ecclesiarum 7  
 fenfit, & scripsit S. Ambrosius tom. 2. oper. edit. Paris. noviss. Epist. Class. 1. Epist. 20. qui, dum à Valentiniano juniore Imperatore juberetur Basilicam Arrianis tradere, animosè respondit: *Nec mihi fas est tradere, nec tibi accipere, Imperator, expedit. Domum privati nullo potes jure temerare, domum DEI existimas auferendam? Allegatur, Imperatori licere omnia, ipsius esse universa. Respondeo, noli te gravare, Imperator, ut putes te in ea, quæ divina sunt, Imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere, sed, si vis diutius imperare, esto DEO subditus. Scriptum est: quæ DEI, DEO, quæ Cesaris, Cesari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesie. Pubicorum tibi mœnium jus commissum est, non SACRORUM.* Ex quibus verbis patet, non avo primum Ambrosii, sed multo antea, & quidem ab ipsis Ecclesie primordiis Basilicas & templa ab usu & commercio hominum exempta fuisse, unde consequens est, quod *secularisatio* templorum, & Monasteriorum per *protestantes & reformatos* facta non possit non esse *Sacrilega*, quam labem tam parum absterfit *pacificatio publica* Osnabrugi inita, quam parum illa potens fuit, aut posthac erit dissentientes in Imperio Religiones in unam fidei concordiam reducere; impossibile enim est, in unum ovile dispersas congregare oves, quæ unius pastoris vocem audire, & revereri nollunt.

Iunt. Præterea ex eadem Epistola S. Ambrosii patenter innotescit, dogma immotum in Ecclesia semper fuisse, quod JUS SACRORUM non ad sæculi Principes, sed ad Ecclesiæ proceres pertineat. Qui propterea contra præceptum Christi *Dominatum* affectasse male arguuntur à Boehmero, nam, ut laudatus S. Ambrosius in eadem Epistola ostendit: *Veteri jure à Sacerdotibus donata imperia, non usurpata: & vulgo dici, quod imperatores Sacerdotium magis optaverint, quam imperium Sacerdotes.* Cæterum ridiculum illum conceptum, quem Boehmerus de Sanctitate interna nostrarum Ecclesiarum format, jam in *tit. de Consecrat. Eccles. num. 12.* expunximus.

Quæres I. Quo jure immunitas localis, sive *jus asyli* introductum sit? Hoc jus sua primordia trahere à Gentibus, & ab his ad Romanos defluxisse erudito, ut assolet, calamo demonstrat Gonzalez ad *cap. 6. h. t. num. 12.* & P. Augustinus Calmet in *Comment. ad cap. 35. Numer. v. 6.* in lege veteri ex præcepto DEI civitates refugii constitutas fuisse constat *Exod. 21. Num. 35. Deuter. 19. Josue 20. 3. Reg. 7.* in lege vero Evangelica immunitas hæc statuta non reperitur, quia à Christo Domino lex alia instituta non fuit, quam de his, quæ ad Sacramenta, fidei articulos, & juris naturalis præcepta pertinent. S. Thomas 1. 2. Q. 108. art. 1. § 2. Est ergo hæc immunitas à jure positivo humano, tum Ecclesiastico, tum civili introducta, & stabilita, ut patet ex *cap. 6. dist. 87. cap. 6. & cap. 10. C. 17. Q. 4.* ex Concilio Aurelianensi I. *Can. 35.* Concilio Matisconensi *Can. 8. & cap. 6. h. t. t. t. C. de*

*his, qui ad Eccles. l. 2. C. de Crimine Sacrileg. in Capitul. Reg. Franc. lib. 5. cap. 93. 155. 198. lib. 6. cap. 54. lib. 7. cap. 174. & in addit. 3. cap. 30.* Privilegium istud temporibus Constantini M. ortum suum habuisse, magis tamen ex praxi & consuetudine, quam ex quadam lege positiva ab ipso Constantino lata, contra Baronium ad Annum 324. evincunt Papebrochius in *conat. Chron. Histor. pag. 49.* & Pagi Critic. in *Baron. ad d. Annum.* apud Josephum Bingham *de antiq. Eccles. volum. 3. lib. 8. §. 1.*

Quæres II. Quæ loca sacra jure asyli gaudeant? Resp. I. certum esse, hac immunitate gaudere non tantum Ecclesias consecratas per *cap. 6. h. t.* sed etiam non consecratas, autoritate tamen Episcopi ædificatas *cap. 9. Eod.* sive deinde Missæ ibi fuerint lectæ, sive non. Covarruv. *Var. resolut. lib. 2. cap. 20. num. 4.* sic etiam Hospitalia, Monasteria, aliaque loca Religiosa autoritate Episcopi erecta hac immunitate gaudent *l. 35. C. de Episc. & Cler. consentiunt Panorm. d. cap. 9. Canisius ibid. num. 13.* quia licet non consecrata, si tamen autoritate Episcopi erecta sunt, loca Religiosa dicuntur *cap. 4. de Religios. domib.* Felinus in *cap. 4. de Prescript. à num. 3.* Et hoc abstrahendo à consuetudine, quæ circa hanc materiam in dubiis casibus attendenda est. Licet enim favores ampliandi sint, hic tamen strictam interpretationem adhibere vel ideo expedit, ut audacia reprimatur eorum, qui passim crimina hac immunitate freti committunt, ut notat Covarruv. *d. loc. num. 4.* ob quam causam in quibusdam urbibus hanc immunitatem à Præ-

latis non admitti testatur, præterquam in illis Ecclesiis, ubi SS. Evcharistia ad publicam venerationem, & adorationem continuo asservatur, quod etiam probat Tuscus *lit. E. Conclus. 9. n. 16.*

**10** Resp. II. Ecclesiam interdictam, vel pollutam, tametsi nondum fuerit reconciliata, immunitatis privilegio gaudere, quia Ecclesia non deliquit, & ideo propter delictum alterius privilegii suis privanda non est *arg. cap. 76. de R. J. in 6. Panormit. in cap. 9. h. t. num. 8. Farinacius in Append. de Immunit. cap. 17. num. 29. quod Fagnanus in cap. 9. h. t. num. 14. etiam extendit ad Ecclesiam dirutam & destructam, quia ratione soli, in quo posita erat, non desinit esse sancta §. 8. Inst. de R. D. nisi cum autoritate Episcopi diruta fuerit, sine spe reedificationis, tunc quippe locus profanus evadit, argumento à contrario ex l. 73. princ. ff. de contrab. empt. desumpto.*

**11** Resp. III. Similiter Sacristiam, porticum, turrim, & ejusmodi loca Ecclesie adhærentia jus asyli habere constat ex *cap. 20. C. 17. Q. 4. Panormit. in cap. 9. h. t. num. 18. De atrio Ecclesie, si fuerit Cathedralis, id jure cautum est, quod immunitate gaudeat ad 40. passus, in minori vero Ecclesia ad 30. per cap. 6. 10. 20. 32. §. 36. C. 17. Q. 4. Quod ita intelligendum est, ut ille, qui confugit ad Ecclesiam, & ex illa exiens progreditur per 30. vel 40. passus respective gaudeat immunitate, non vero ille, quem Ecclesia nondum recepit *cap. 35. d. C. 17. Q. 4. de consuetudine tamen ob multitudinem Ecclesiarum, domus Parochorum, & Canonicorum etiam intra 30. passus non extendi testantur Zero-**

*la part. 1. V. immunitas §. 12. Jul. Clarus in §. fin. Q. 30. num. 1. Covarruv. d. loc. num. 5. quibus eatenus accedit Canisius hic num. 14. ut, nisi de contraria consuetudine evidenter constet, ab immunitate dictorum passuum non esse recedendum putet.*

Resp. IV. Oratoria privata & domestica, sine autoritate Episcopi erecta, licet cum ejusdem licentia quotidie ibi Missæ dicantur, hac immunitate non gaudere communiter tenent DD. Panormit. *d. cap. 9. num. 7. Canisius num. 19.*

Resp. V. Cum Ecclesia ob reverentiam SS. Evcharistie immunitate gaudeat, tanto magis eam competere debere ipsi pani Evcharistico; quapropter reus ad Sacerdotem Venerabile Sacramentum ad infirmum v. g. deferentem confugiens jure asyli defenditur, & hoc quidem ex summa congruentia, quodsi enim hoc privilegium Jure Civili datum est statuis principum *l. un. C. de his, qui ad stat. confug. & teste Plutarcho apud Covarruv. d. cap. num. 6. etiam inter Gentiles reus ad supplicium mortis ductus liberabatur, dum ei Vestalis virgo casu etiam fortuito obviam facta est, cur hoc Christo Domino in sacra Evcharistia negetur? Panormit. in cap. 10. de Celebr. Miss. num. 2. Clarus *Quæst. 98. num. 2. Farinac. in prax. Crimin. lib. 1. cap. 8. num. 11. & in Append. de immunit. c. 17. num. 275. & de carcer. Quæst. 28. n. 45. Ciarlinus Controv. forens. cap. 10. n. 25. Quia tamen privilegium hoc in jure expressum non est, & per dicta in hac immunitatis materia stricta potius interpretatio adhibenda sit, in dubium id vocat Covarruv. *d. l. num. 6. ut pot-***

missimum etiam in hoc puncto ad consuetudinem, tanquam optimam legum interpretem, recurrendum sit.

14 Cæterum licet SS. Canones de locis tantum sacris disponant, per hoc tamen locis profanis juxta leges civiles immunitatis privilegio donatis derogasse non videntur, quamvis teste Claro Q. 20. n. 27. immunitas apud statuas consuetudine passim abrogata sit, qui n. 25. Academijs, & Universitatibus hoc privilegio gaudere, ut studiosi delinquentes inde violenter extrahi non possint, testatur ex Rebuffo de Privil. Scholar. cui accedit Tuscus lit. E. conclus. 9. n. 13.

15 Quæres III. Quinam immunitate locali, sive jure asyli gaudeant? Antequam quæstionem hanc per distinctos casus ex DD. Scholasticorum sensu resolvamus, è re visum est, hujus privilegii varia fata, & vicissitudines compendio referre. Quapropter sciendum est, hoc jus asyli per LL. Civiles jam restrictum, jam laxatum, & extensum fuisse. Primis quidem Ecclesiæ pacatæ temporibus jus asyli latissimè patebat, quando officiosa Episcoporum charitas pro reis quibuscunque apud judices sæculares intercedere, eosque à poenis promeritis interpositis precibus eximere consueverat, prout prolixè ex PP. tam Græcis, quam Latinis ostendit Thomassinus Veter. § Nov. Eccles. discipl. part. 2. lib. 3. cap. 95. § seq. sub finem deinceps sæculi IV. à Theodosio Imperatore lex prima de Asylis Ecclesiarum lata est, non omnibus tamen ad illas confugientibus propitijs; nam vetuit debitoribus fiscali- bus ad asyla Ecclesiæ confugientibus tutelam & immunitatem præstari. Vid.

l. 1. C. Theod. de bis, qui ad Eccles. confug. subsecuta deinde est lex ab Arcadio & Honorio lata, qua Judæis debitoribus, aut alias ex crimine reis, amplectendæ orthodoxæ religionis desiderium simulantibus, asylum eousque denegabatur, dum debita universa reddidissent, vel innocentia demonstrata fuissent purgati, ut dicitur in l. 1. C. d. t. & l. 2. C. Theod. Eod. tit. ex consilio Eutropii, primarii apud Arcadium Eunuchi, dein etiam inter ejus proceres præcipui, lex altera longe durissimè promulgata fuit, præcipiens, ne quis omnino ad Ecclesiam confugeret, & ut expellerentur etiam illi, qui ad eam jam confugerant. Vid. Sozomenum histor. Eccles. lib. 8. cap. 7. ad quam legem rursus abolendam Patres Concilii Carthaginensis anno 399. habiti Epigonium & Vincencium Episcopos ad Imperatores ablegarunt, ut pro fugientibus ad Ecclesiam, quocunque reatu involutis, legem de Gloriosissimis Principibus mereantur, ne quis eos audeat abstrahere, ut habet Codex Canonum Ecclesiæ Africanæ à Christophoro Justello in Biblioth. Jur. Canon. collectus pag. 358. Honorii rescriptum prioris legis abrogativum nec in Codice Theodosii, nec Justiniani reperiri asserit Thomassinus cit. lib. cap. 95. num. 9. Justellus tamen mox laudatus in observat. § Not. ad d. Cod. Canon. Eccles. Afric. pag. 358. dictum Honorii rescriptum ad Sapidianum Vicarium Africæ pro Ecclesia Africana huc spectare credit, & ex l. 34. C. Theod. de Episcop. & Cleric. his verbis recitat: Si Ecclesia venerabilis privilegia cujusquam fuerint vel temeritate violata, vel dissimulatione neglecta; commissum quinque librarum

auri (sicut etiam prius constitutum est) condemnatione plectatur. Si quid igitur contra Ecclesias vel Clericos per obreptionem, vel ab hereticis, vel ab hujusmodi hominibus fuerit contra leges impetratum, hujus Sanctionis auctoritate vacuamus. Dat. VII. Kal. Julii Brixia Theodoro V. C. Consule. Sozomenus d. loc. scribit, quod lex illa, quæ ad suggestionem Eutropii lata fuerat, ex publicis commentariis prorsus est erasa, quæ tamen (inquit Bæchmerus ad h. t. §. 21.) paulo post Codici Theodosiano inserta fuit, ut magis votum & desiderium Episcoporum, quam veritatem rei gestæ retulisse videatur, id quod falsum ex mox relata l. 34. C. Theod. teste Justello apparet. Sæculo V. anno 437. alteram legem tulit Theodosius, quam integram recitat Gothofredus in comment. ad l. 4. C. Theodos. de his, qui ad Eccles. confus. in qua jus asyli in tantum restrinxit, ut innocentibus duntaxat, & calamitate pressis confugium ad Ecclesias pateret, quam legem ampliavit Leo Imperator anno 466. & jus asyli, quod antecessores sui parcius, iste liberaliori manu indultit, ut patet ex l. 6. C. de his, qui ad Eccles. confug. sed hanc Justinianus rursus restrinxit, dum in Nov. 17. cap. 7. injuriam passis, non item inferentibus Ecclesiam tutamini esse voluit, scribens: templorum cautela non nocentibus, sed lesis datur à lege. Similia pone fata subiit jus Asyli in Capitularibus Regum Francorum, ut patet ex locis supracitatis. Verum SS. Canones supra allegati, quos præ legibus Imperatorum in hac immunitatis materia sequi convenit, Covarruv. var. resolut. lib. 2. cap. 2. & notat Gonzalez ad cap. 6. h. t. num. 2. ipsique Ec-

clesiæ hostes non dissententur teste Josepho Bingham de Origin. Eccles. volum. 3. lib. 8. cap. 11. §. 9. omnibus ad Ecclesias confugientibus, quorumcumque criminum reis, exceptis quibusdam casibus infra referendis, jus asyli concesserunt, ut patet præter variorum Conciliorum decreta superius allegata ex Decretali Innocentii III. in cap. 6. h. t. Bulla Gregorii XIV. quæ incipit: cum alias &c. anno 1591. 28. Maji solenniter edita, ac novissime ex Bulla Beuedicti XIII. in Concilio Romano anno jubilarum hujus sæculi, videlicet XXV. celebrato.

Contra hoc immunitatis privilegium per SS. Canones reis ad Ecclesias confugientibus tam largiter indultum heterodoxi vehementer excipiunt, cau-<sup>16</sup> santes, per hanc immunitatem sceleratis amplissimam licentiæ portam aperi-ri, eosque ad omne mali genus perpetrandum invitari, ut videre est apud Rudolphum Hospinianum tom. 1. de Templis lib. 1. cap. 15. Bingham cit. loc. §. 9. Bæchmerum passim h. t. in specie §. 29. ubi scribit: Hanc tamen differentiam deprehendo inter leges civiles, & Ecclesiasticas, quod illæ quidem, ut antea observavi, dolosis delinquentibus refugium ad Ecclesiam ut plurimum denegaverint; hæ vero quocumque crimine contaminatos recipiendos esse statuerint, ut eo magis sanctitatem Ecclesiarum, etiam cum aliqua legis Divinæ transgressione defenderent, quippe in qua magnum Cleri sancti presidium situm esse credebant. His obtrectatoribus paucis reponimus, reipublicæ interesse, & religionis, & justitiæ habere rationem, illius tamen potio-rem, unde, si contingat, utranque collidi, nec  
utrius-

utriusque jura intacta servari possint, magis est, ut vulnus patiat *justitia*, quam *religio* quoquo modo temeretur, siquidem hæc Summi DEI cultum, & quæ huc ordinatur, templorum, aliorumque sacrorum curam, præ oculis habet, illa duntaxat salutem civium vel in corpore, vel seorsim in singulis membris spectare dignoscitur, quæ cura profecto præ illa multo inferioris ordinis est. Recte huc quadrant verba Plutarchi *lib. advers. Colot. in legum constitutione, quam Colotes laudat, primum est, & maximum, de Diis opinio.* - - - *Et si terras obeas, invenire possis urbes muris, litteris, regibus, domibus, opibus, nomismate carentes, gymnasiorum, & theatrorum nescias: urbem templis, Diisque carentem, quæ precibus, jurejurando, oraculo non utatur, non honorum causa sacrificet, non mala Sacris avertere nitatur, nemo unquam vidit.* Tanta religio de cultu Deorum templorumque gentiles inceserat, & nobis Christianis illius cura postrema, aut saltem inferior sit? Quod si nondum acquiescant adversarii, sed ob præsentiam *justitiæ* violationem *jus asyli* templis denegandam esse contendant, prout faciunt *protestantes* teste Bœhmero *hic §. 34.* insultent etiam misericordix DEI, quæ quos perdere deberet vindex *justitiæ*, salvat, & servat, nec inclementior in illos, qui data venia frequentius abutuntur, existit. Cæterum Ecclesia adeo indulgens non est, ut in perniciem reipublicæ quoscunque maleficos in suam tutelam recipiat, prout ex casibus infra referendis patebit. Bœhmerum, ceterosque nauseantis stomachi erroneos, qui à Sanctitate templorum adeo abhorrent, his

verbis Plutarchi *cit. loc.* excusandos puto: *opinionis aliquo errore decipi, ut sapientis non sit, saltem hominis est.* jam propositam superius quæstionem per distinctos casus placet resolvere.

Quamquam juxta *cap. 6. h. t. regu-* 17  
lariter omnes etiam gravia delicta perpetrantes jure asyli Ecclesiastici gaudeant, excipiuntur tamen ibidem I. *publici latrones*, qui scilicet vias publicas obsident, & transeuntibus ex proposito insidiantur, quibus DD. communiter etiam pyratas annumerant, supposito tamen, quod sint notorii *notoreitate juris*, hoc est, in jure vel confessi, vel condemnati, vel publicè de deprædatione infamati, adeoque notorii *notoreitate facti*. Delictum hoc si nondum ad forum contentiosum sit deductum, aut palam de latrocinio non constet, latronem ab asylo non excludit. Barbof. *J. E. V. lib. 2. cap. 3. num. 79.* II. in *Eod. cap.* excipiuntur nocturni agrorum depopulatores, quales sunt, qui de nocte alienorum agrorum segetes, vel vinearum fructus destruunt *l. 1. C. Quand. liceat sine jud.* modo tamen ejusmodi destructio fuerit repetita, quia ex una tantum non potest dici depopulator. Farinac. *in append. de immunit. cap. 11. num. 160.*

Raptores virginum, adulteri, & 18  
homicidæ simplices, etsi jure civili per *Nov. 17. cap. 1.* hac immunitate priventur, jure tamen Canonico eadem gaudent per *cap. 3. C. 36. Q. 1. cap. 6. h. t.* quod indistincte de quantumcunque gravibus maleficiis loquitur quibus Canonibus leges civiles derogare non potuerunt. Panormit. *ad d. cap. 6. h. t. num. 14.* Covarruv. *d. cap. 20. num. 3.* Farinac. *de Carcerib. Q. 28. n. 6.*

Pax. Jordan tom. 2. lib. 11. tit. 3. n. 211. & Canonistæ communiter, nisi fortassis alia alicubi vigeat consuetudo, prout de furibus propter delicti frequentiam hoc asyli jure privatis testatur Covarruv. d. cap. num. 13.

19 Excipiuntur III. qui per insidias & præmeditato, sive per industriam alios occidunt juxta cap. 1. de homicid. ubi ex cap. 21. Exod. refertur mandatum Domini: si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur. Barbof. ad d. cap. 1. num. 4. Zoësius ad h. t. num. 27. Clarus Q. 30. num. 13. qui de praxi etiam testatur. Quod si ab ejusmodi præmeditato homicidio insidiæ abfuerint, ut contingere potest in duello, homicidam asyli beneficio non excidere defendunt Covarruv. d. cap. num. 7. Zoësius, Layman contra Fachinæum lib. 9. cap. 93. Clarus d. Q. num. 19. cum enim hic versemur in materia correctoria, & odiosa, dispositio cap. 1. de homicid. stricte & copulative de cæde per industriam simul & insidias commissa accipienda est.

20 Excipiuntur IV. qui aliquem in Ecclesia, vel cœmeterio occidunt, vel aliquid ejus membrum mutilant, hoc est, abscindunt cap. ult. h. t. Et licet Hostiensis cum Remigio Gonny in speciali tractatu de immunit. Eccles. censeant, illum, qui non spe immunitatis, sed subitaneo v. g. calore aliquem in Ecclesia occidit, immunitatis privilegio gaudere, eo, quod in d. cap. ult. copulative requiri videatur, ut homicidium in Ecclesia fiat, & quidem sub spe immunitatis, nihilominus contrarium probabilius judicant Panormit. ad d. cap. fin. num. 8. & Covarruv. d. cap.

20. num. 15. Farinac. prax. Crimin. cap. 28. num. 54. quia S. Pontifex ibidem in ea potissimum ratione se fundat, quod, qui in Ecclesia delinquit, ipsam Ecclesiam offendat, consequenter indignus sit, quem Ecclesia defendat, quia frustra legis auxilium invocat, qui committit in legem. Quod autem copulative illa duo exprimat, narratio potius facti, quam juris dispositio est, quod confirmari potest ex Bulla Gregorii XIV. supra jam allegata, quæ indistincte immunitatem denegat occidentibus in Ecclesia, vel cœmeterio. Allegata vero ratio in cap. ult. etiam illos complecti videtur, qui extra Ecclesiam quidem, sed spe immunitatis delinquant, v. g. duellum ineuntes prope Ecclesiam eo fine, ut commode se in eam recipere possint. Covarruv. d. cap. num. 15. Tuscus lit. E. Conclus. 11. num. 15. quia scilicet nemini spe veniæ peccare permissum est. cap. 5. §. 5. de Cleric. excomm. & cap. 28. de consecrat. dist. 4.

Dispositionem cap. ult. h. t. quod tantum de homicidio & mutilationibus in Ecclesia commissis loquitur, ad alia delicta, saltem graviora, quæ in Ecclesia commissa specialem malitiam, & sacrilegii reatum ex circumstantia loci contrahunt, extendi volunt Covarruv. d. loc. Panormit. ad cit. cap. ult. num. 9. Farinac. de Carcerib. Q. 27. num. 53. Clarus Q. 30. num. 15. Zypæus ad h. t. n. 10. contrarium verius est, quia privatio immunitatis est pœna, & Ecclesiæ præjudiciosa, consequenter ultra verba legis non extendenda, talem tamen delinquentem ob irreverentiam loco sacro factam à judice Ecclesiastico puniendum esse declaravit S. Congregatio immunitatis 18. Martii 1621. juxta Bar-

Barbol. in collect. Bullar. Et horum sententia firmatur ex dict. Bulla Gregorii XIV. ubi §. 2. expresse declaratur, sola crimina ibidem à se expressa private asylo, non item alia, nisi equipolleanat aliis in jure expressis; atqui Pontifex ibidem solum excipit homicidia, & mutilationes in Ecclesia perpetratas, ergo. Add. Pignatell. tom. 6. consult. 4. num. 94.

22 Excipiuntur V. Qui homicidium proditorium perpetrant, hoc est, qui simulata amicitia alterum nihil fraudis suspicantem occidunt, ut contingere potest, si quis contubernalem, nulla præcedente rixa, vel inimicitia occidat. Sæpe cit. Bulla Gregorii XIV. §. 3. Pignatell. tom. 9. consult. 18. Pax Jordan cit. tit. num. 342. § seqq. P. Reiffenstuel ad h. t. §. 5. num. 116. § seqq.

23 Excipiuntur VI. Assassini, qui pretio certo conducti solius lucri gratia aliquem occidunt, cujusmodi malefariati homines, uti & eorum conductores, secuto effectu, immunitate privantur. cit. Bulla §. 3. Olim quidem Assassini proprie illi infideles, dicti sunt, qui accepta pecunia hominem Christianum occiderunt, ut colligitur ex cap. 1. de homicid. in 6. hodie tamen ex communi opinione etiam illi censentur, qui ad committendam similem eadem alii operas suas locant, vel conducunt. Covarruv. sepecit. cap. 20. num. 10. Pax Jordan cit. tit. num. 360. P. Egidius Ranbeck in Panopl. libert. Eccles. disput. 2. cap. 6. except. 3. per tot. P. Reiffenstuel h. t. §. 5. num. 130. § seqq.

24 Excipiuntur VII. Hæretici si ob crimen hæresis ad Ecclesias nostras confugiant. dict. Bulla Gregorii ibi:

vel hæresis rei. Ob alia crimina non excepta, si ad Ecclesiam confugiant, jure asyli gaudent. Farinac. de Carcerib. Quest. 28. num. 60. quod tamen beneficium protestantibus in Imperio jure talionis denegare possemus, cum illi templis & Monasteriis Catholicis in territorio A. C. additi principis sitis, teste Bæhmnero h. t. §. 35. jus asyli denegent.

Excipiuntur VIII. in dicta Bulla Gregorii XIV. qui Crimen læsæ Majestatis in personam Principis committunt: v. g. percutiendo, vulnerando, cum hostibus adversus eum conspi-rando &c. Nomine vero Principis illi hic veniunt, qui in suo territorio quo ad temporalem jurisdictionem superiorem non recognoscunt, quos enumerant Peregrinus de immunit. cap. 9. num. 4. & cap. 10. num. 13. P. Reiffenstuel h. t. num. 142. § seqq. qui insimul ostendunt, eos, qui in uxorem, liberos, aut consiliarios Principis crimen læsæ Majestatis committunt, jus asyli non amittere. Videatur etiam Farinac. in Append. de immunit. cap. 14. n. 190. § 192. Diana part. 1. tract. 1. resol. 7. § 20.

Recensitis his casibus tam jure communi, quam Bulla Gregorii XIV. exceptis nonnullos alios novissime ad-jecit, ac insimul Constitutionem Gregorianam confirmavit, & innovavit Benedictus XIII. in Concilio Romano Anno universalis Jubilæi MDCCXXV. celebrato. Labet ipsa verba Bullæ apponere.

Cum itaque prædicta Gregoriana Constitutione cautum sit, ut publicis latronibus, viarumque grassatoribus, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident,

aut viatores ex insidiis aggrediuntur, immunitas Ecclesiastica minime suffragetur; non levis autem inter Doctores emerferit Controversia, an quis ex unico actu publicus latro, & grassator dici possit, vel plures ad id actus requirantur; Nos, ejusmodi controversiam dirimere intendentes, unicam tantum grassationem in via publica, aut vicinali admissam, sufficere ad hoc, ut quis publicus latro, & grassator dici valeat; dummodo tamen grassati mors, aut membrorum mutilatio secuta fuerit, tenore presentium definimus, & declaramus.

Insuper ab Ecclesiastica immunitatis beneficio excludimus, atque repellimus, & pro exclusis, atque repulsis haberi volumus, nedum eos, qui homicidia, aut mutilationes membrorum in Ecclesiis, earumve Cœmeteriis committere audent, quemadmodum in Gregoriana Constitutione sancitum est; verum etiam eos, qui stantes in Ecclesia, vel Cœmeterio, interficiunt stantes extra Ecclesiam, vel Cœmeterium, aut iis membrum mutilant: nec non eos, qui stantes extra Ecclesiam, aut Cœmeterium, occidunt stantes intra Ecclesiam, aut Cœmeterium aut iis membrum mutilant: ac eos tandem, qui confugientibus vim inferunt, atque ipsos ab Ecclesia, aliove loco immuni violenter extrahunt, & abducunt: declavantes in quatuor premisis casibus ejusmodi reos, non illius tantum Ecclesie, quam violarunt, sed cujuscunque etiam alterius Ecclesie immunitate gaudere nequaquam posse, aut debere.

Ad hæc in crimine Assassini non modo mandatarios, qui in ipsamet Gregoriana Constitutione aperte excipiuntur, sed etiam mandantes, qui certum præmium aut mercedem sive in pecunia, sive

in aliis rebus tradiderint, aut promiserint, quamvis promissio nullam habuerit effectum, dummodo Assassinium re ipsa peractum fuerit, ab Ecclesiastica immunitatis beneficio excludimus, ac pro exclusis perpetuo haberi volumus, & mandamus.

Excludimus pariter, repellimus, atque privamus ejusmodi immunitatis privilegio interficientes proximum suum animo præmeditato, ac deliberato. Falsificantes litteras Apostolicas. Ministros montis pietatis, vel alterius publici telonii, aut Banci pro depositis Principis, privatarumque personarum destinati, furtum, aut falsitatem in prædictis locis committentes, cujus ratione arca pecuniaria ita minuatur, ut pœne ordinaria locus sit: constantes, adulterantes, vel tondentes quascunque monetas aureas, vel argenteas, etiam Principum exterorum, quotiescunque in loco, aut provincia, ubi crimen admittitur, liberum habeant usum, & commercium, vel ipsas monetas confatas, adulteratas, aut detonsas scienter ita expendere, & erogare præsumentes ut fraudis conscii, atque participes censeri possint: illos demum, qui sub nomine Curie sese introducunt in alienas domos, animo ibidem perpetrandi rapinas, easque re ipsa committunt cum homicidio, aut mutilatione membrorum alicujus ex domesticis earundem adium, vel etiam extranei quem ibi forte reperiri contigerit, dummodo homicidium, vel membrorum mutilatio sequatur.

Ex recensitis casibus exceptis satis apparet, quam iniqua sit illorum hominum censura, qui jus asyli ad corruptiones & abusus Ecclesie abjiciunt, criminantes, Ecclesiam non tam peccatoribus, quam peccatis ipsis impu-

nitatem præstare, & reipublicæ interesse, ut ejusmodi immunitatis privilegium cassetur, & abrogetur. Est hæc vox petulans nostri temporis gnosticorum, quam etiam ex nostratibus nonnulli pseudo-politici auscultant, & cæco impetu sequuntur, utrique fanatico spiritu exagitati in id omne suum studium conferunt, quo Ecclesiæ jura subruere, sacra contemnere, ipsaque DEI sacraria sacrilege temerare valeant, quo quid aliud faciunt, quam quod ad *aram libertatis* confugientibus, peccatis & peccatoribus, tutissimum asylum constituent. Jam rursus ad nostra revertamur.

28 Certa igitur nobis est doctrina, quod extra casus exceptos, superius enumeratos, reis omnibus, sive ex debito civili, sive ex criminæ talibus, perfugium ad Ecclesiam pateat, per *sepecit. cap. 6. h. t. Fagnan. ibidem num. 36. Farinac. in Append. de immunit. cap. 22. num. 353. § 355.* Quoad debitores obaratos id ex *Tusco d. Conclus. 11. num. 32.* annotamus, quod, si ad Ecclesiam confugiant, sola ipsorum persona, non vero bona ab Ecclesia defendantur, in quæ nihilominus executio fieri poterit, immittendo creditores in possessionem, persona vero ab incarceratione immunis erit. Consentiant *Panormit. ad cap. 6. h. t. num. 22. & Covarruv. num. 14.*

29 Sed quid de illis, qui jam capti à lictoribus per Cœmeterium, vel atrium Ecclesiæ ducuntur, an ibidem ad libertatem proclamare, & jure immunitatis se tueri poterunt? Negant *Covarruv. num. 13. Tusco Conclus. 11. num. 28. Oldradus Consil. 14. num. 4.* quia tales non proprie avelluntur ab

Ecclesia, qui nunquam liberi fuerunt in Ecclesia, & quia Ecclesia tantum conservat, non vero dat libertatem, quod confirmant instantia à S. Evcharistia petita, quæ immunitatem reo ad illam confugienti tribuit per dicta, non vero illi, ad quem in carcere detentum deferitur, utpote qui juris sui antecederet non fuerit. Affirmativam tamen non minus probabiliter tuentur *Canisius num. 27. Remig. Gonny d. tract. fallent. 30. Julius Clarus Q. 30. Farinac. Q. 28. num. 47.* eo, quod eadem ratio hoc quoque casu militet, honor scilicet & reverentia loci, quæ violatur, si etiam taliter transeunti, & ad libertatem proclamanti violentia inferatur. Quamvis aliud dicendum sit, si reus per locum immunem sponte sequatur, ut deinde, postquam limites immunitatis excessit, recte condemnatur.

Huic resolutioni ob paritatem rationis etiam illud consequens est, quod si captivus effracto carcere, vel è manibus lictorum elapsus ad Ecclesiam confugiat, dicto immunitatis jure gaudere debeat, qui, licet prius captus, hic & nunc tamen liber ad Ecclesiam pervenit, à qua in libertate sua conservandum volunt *Covarruv. d. loc. Panormit. cap. 6. h. t. num. 32. Zoësius ibidem num. 37.* conferatur ex repetita declaratione Cardinalium *Pignatell. tom. 6. consul. 4. ubi num. 78.* sequentem ponit: *Fugiens ad Ecclesiam, dum ducitur ad supplicium, gaudet immunitate in una Valisolemana 19. Maji 1627. Vid. Pignatell. cit. consult. num. 91. § 107.*

Quæres IV. Quis sit effectus immunitatis localis, & quæ pœnæ in violan-

lantes eandem sint statuta? Resp. ad I. membrum, principalem effectum insinuatam jam fuisse, quod nimirum reus ad illam confugiens violenter extrahi non possit, quin nec pœna mortis, vel alia corporalis interim, dum in Ecclesia moratur, in illum statui valet *cap. 6. h. t.* Ulterius nec compedibus, aut vinculis in Ecclesia constringi poterit, quia & hæc violentia quædam esset, à jure prohibita. *cap. 35. C. 17. Q. 4. l. 6. C. de his, qui ad Eccles. confug.* & quia Ecclesia tali modo à loco sacro in carcerem degeneraret, & in loco exempto jurisdictione à Laicis exerceretur. Covarruv. *dist. cap. 20. num. 17.* Farinac. *in Append. de Immunit. cap. 19. num. 297.* & *de Carcerib. Q. 28. num. 9.* Nihilominus vigiles, & licitores in vicinia Ecclesiæ constitui possunt, qui reum ex Ecclesia forsitan ultro prodeuntem apprehendant; neque enim immunitas Ecclesiæ lædi videtur, tamen obsidio circum circa Ecclesiam ponatur, & omnis elabendi occasio fugitivo præcludatur, ut communis praxis confirmat, modo alimenta necessaria ipsi non intercipientur, nec officium Ecclesiæ occludatur, & ita quasi carcer efficiatur. Ratio vero est, quod immunitas localis loco adhareat, & iudices non prohibeantur pro suo arbitrio delinquentibus insidiari, neque etiam reum, qui ad Ecclesiam confugit, omnino à pœna liberet, sed tantum à violentia defendat, quamdiu in Ecclesia existit. Canisius *num. 24.* Jul. Clarus *Q. 30.* Covarruv. *d. loc.*

32. Quodsi iudex secularis sub iurejurando impunitatem quæ ad vitam, & membra spondeat reo, ad examen ex-

tradendus erit *cap. 35. C. 17. Q. 4.* alias Rector Ecclesiæ periculum fugæ, & damna aliis inde eminentia præstare tenebitur: ad torturam vero probabilius tradi non potest per *cap. 36. Ead. C. & Q. Panormit. ad cap. 6. h. t. in fin.* Circa latronem publicum, aut nocturnum agrorum depopulatorem, qui juxta dicta immunitate locali non gaudent, id porro sciendum est, quod iudex secularis illos ex loco asyli propria autoritate extrahere nequeat, ut tenent Fagnan. *ad cap. 6. h. t. num. 79.* Gomez *Var. resolut. tom. 3. cap. 10. num. 2.* Zoësius *h. t. num. 39.* & alii, licet enim idgenus homines quoad se immunitate non gaudeant, ipsa tamen Ecclesia habet generalem immunitatem à jurisdictione secularium: sicut ergo iudex reum ex alieno territorio propria autoritate per ministros suos educere non valet, ita nec in præsentis casu, sed à iudice Ecclesiastico traditionem sibi fieri poterit, quæ si negata fuerit, tunc iudici seculari modeste, & quantum fieri potest, cum minimo tumultu extractio conceditur. Gregorius XIV. in *d. Bulla §. 4. & 8.* Fagnan. *ad cap. 6. hic num. 99. & seq.*

Ad pœnas in violatores immunitatis Ecclesiasticæ statutas quod attinet, præter reatum Sacrilegii violator de Jure Civili capitali supplicio puniatur *l. 6. C. de his, qui ad Eccles. confug.* Jure vero Canonico præter excommunicationem 90. solidi, vel 30. libræ argenti solvi præcipiuntur *cap. 20. & seq. C. 17. Q. 4.* cujus tamen exigendæ jus hodie per non usum ab Ecclesia amissum esse notat Glossa in *cap. 3. C. 15. Q. 8.* pœnâ vero excommunicationis etiamnum hodie obtinet,

net, ipso facto incurreretur, ubi dicta Bulla Gregorii XIV. publicata & recepta est, non alias, quia textus allegati, vel præmonitionem Episcopi requirunt, vel simpliciter excommunicationem comminantur, nec satis exprimentur, an ipso facto incurratur. Zeyrola *V. immunitas* §. 13.

## §. II.

## De Immunitate reali, &amp; personali.

## SUMMARI A.

34. Quid muneris nomine intelligatur? 35. Aliud est reale, aliud personale. 36. Quæ ad munera realia reducantur? 37. Circa impositionem horum onerum tria notantur. 38. Datur in Ecclesia immunitas tum realis, tum personalis. 39. Quam aliqui ex jure humano descendere autumant. 40. Alii ex Jure Divino deducunt. 41. Quod reprobant heterodoxi. 42. Sed pessime. 43. Böhmeri argumentum in specie refutatur. 44. Alia objectio resolvitur. 45. 46. 47. 48. 49. 50. An Ecclesiis & personis Ecclesiasticis tributa, aliaque onera realia à principibus secularibus imponi possint, per distinctas resolutiones hæc questio resolvitur. 51. In casu evidentis necessitatis & utilitatis etiam Clerici, & Ecclesia collectari possunt, sub certis tamen conditionibus, quæ ibi recensentur. 52. Ad reparationem pontium, viarum &c. Clericos quoque teneri defendunt aliqui. 53. Negativa nobis probabilior videtur. 54. Ex oneribus Laicis directe impositis, tametsi indirecte illa sentiant Clerici, immunitas violari non censetur. 55. Quid consuetudo possit in materia immunitatis. 56. De lege amortizationis remissive. 57. Extra casum necessitatis extraordinariæ ab oneribus personalibus immunes sunt personæ Ecclesiasticæ. 58. Unde non possunt cogi ad angarias præstandas. 59. Nec ad hospitium præbendum militibus in ædibus suis. 60. Nec ad munus tutelæ, defensionem viduarum &c. 61. Pœnæ in violatores immunitatis recensentur.

34. **A**ntequam de immunitate tum bonis, tum personis Ecclesiæ concessa dicamus, prænotare oportet ex *l. 214. ff. de V. S.* quod muneris nomine hic intelligatur onus necessario subeundum, quod vel à lege, consuetudine, vel à superiore imponitur, ita, ut immunitas nihil aliud sit, quam exemptio ab onere, vel munere.
35. Munera ista potissimum dividuntur in *personalia*, & *realia*. Illa sunt, quæ corporis labore, animi sollicitudine, ac vigilia perficiuntur. *l. 1. §. 3. ff. de Muner. & honor.* Hæc vero, quæ etiam *patrimonialia*, seu *Bursalia* vocantur, nec corporis, nec animi laborem, sed bonorum tantum, ac pecuniæ erogationem requirunt *l. fin. §. 13. ff. d. t.*
- Realia* iterum subdividuntur; ut alia sint onera realia præcise personis imposita sine respectu ad bona, ut,
- cum

cum in singula capita certus census constituitur, & hæc dicitur *capitatio*, seu tributum *capitis Kopf-Steuer*, l. 9. C. de Agric. & Censib. l. un. C. de civium Capit. l. 3. ff. de Censib. Alia onera realia præcise rebus imposita sine respectu ad personas, ut cum in singulis oppidis, prædiis, domibus &c. secundum se certa onera pecuniaria taxata, & imposita sunt, & hæc proprie *tributa* appellantur. Jason in l. 5. C. de SS. Eccles. num. 6. Nicol. Beckmann *jur. noviss. Roman. German. lib. T. V. tributum in fin.* Alia medio quasi modo se habent, & nec personis ut sic, nec rebus secundum se, sed personis propter res, & secundum proportionem patrimonii imponuntur, veluti *steuer*, & & communiter alia contributiones; & hæc vel certa lege, & in perpetuum à principe constitutæ sunt, vel extra ordinem, & in casu necessitatis, quæ communiter *exactiones*, collectæ vocantur V. Speidelium in *Specul. Var. Jurid. Observ. lit. S. num. 235.* Van-Elpen *J. E. V. part. 2. tit. 35. cap. 2. num. 19. § 3. seqq.*

37 Ulterius tria in genere circa ista onera notanda sunt I. an hujusmodi *exactiones* præcise ex voluntate Principis, vel propter evidentem utilitatem, aut necessitatem imponantur. II. An talis necessitas, propter quam imponuntur, singulos directe, adeoque etiam Clericos concernat, & Ecclesias, ut, cum ad redimendam civitatem ab hostibus, ad arcenda pericula pestis, incendii &c. expensæ faciendæ, numvero causa illa tantum indirecte singulos respiciat, ut, cum civitas aggeribus munienda, bellum vicino inferendum &c. III. An similia onera ex me-

ro jure positivo, vel potius ex natura rei, aut naturali illo principio: *qui sentit commodum &c.* proveniant, & rebus ipsis quodammodo inhæreant, ut, quod vias publicas, & ripas fluminum conservare debeant illi, qui vicinos agros habent, quod fons purgandus illi, in cujus fundo situs est. Item *vestigalia*, quæ non ad lucrum principum, sed præcise ad conservationem pontium aut viarum instituta, & quæ omnes præstare tenentur, qui viam, vel pontem plaustris suis terunt. His prænotatis

Dicimus, *immunitatem tam personalem*, quam *realem* dari in Ecclesia, adeoque & personas Ecclesiasticas, & bona Ecclesiarum, ac Ecclesiasticorum à communi laicorum subjectione, onere, & obligatione esse exemptas. Hæc conclusio in thesi adeo est certa, ut nec heterodoxi eandem in controversiam trahere ausint. Bœhmeri testimonium profero, qui §. 48. ad h. t. de immunitate reali ita scribit: *Non invidenda est immunitas ab oneribus publicis Ecclesiis, earumque patrimonio, quam tot sæculorum praxis confirmavit, legum publicarum repetita confirmatio stabilivit, & optima ratio ad hæc usque tempora munivit.* Et de immunitate personali his verbis fidem facit: *interim, cum immunitas Clericorum, personalis imprimis, legibus, etiam Germanicis, confirmata, & ad nostra usque tempora propagata sit, citra necessitatem extremam illa iis non adimenda, sed conservanda. Neque enim iis invidenda immunitas, quæ ex causis rationabilibus iis indulta est, & quam etiam admittunt protestantes.* At vero, cui juri utraque immunitas natales suos in-

ac-

acceptis referat, non una omnium vox, & sententia est.

39 Compluribus placet, immunitatem hanc ex jure positivo humano descendere, & quidem ex liberalitate Imperatorum & Regum prorsus gratuita, quod inde colligunt, quia dicti principes varias leges tulerunt, quibus immunitatem Ecclesiis, Ecclesiasticisque personis concessisse leguntur, ea quidem libertate, ut istud beneficium jam ampliarint, jam restrinxerint, nonnunquam etiam penitus sustulerint, quod subinde argumento est, immunitatem tum *realem*, tum *personalem* Principum laicorum munificentiae unice acceptam ferendam esse. Ex pluribus legibus, quas Thomassinus *part. 3. lib. 1. cap. 33. & pluribus seqq.* profert, & ex eo colligit Illustriss. Leopoldus Pilatus de *Originib. Jur. Pontific. lib. 1. tit. 14. pag. 380. & seqq.* unam alteramve in exemplum lubet proponere. Sic Constantinus M. (qui primus hujus immunitatis author *Pilato*, aliisque creditur) in *l. 1. Cod. Theodos. de annon. & tribut. rescriptit, præter res privatas suas, & Ecclesias Catholicas*, omnes reliquos de re sua familiari pensitare debere. Idem immunitatem generalem ab omnibus muneribus publicis & oneribus Curialium pene servilibus Clericis omnibus indulgit, ut constat ex *l. 1. 2. & 7. Cod. Theod. lib. 16. & testatur Eusebius histor. Eccl. lib. 10. cap. 7. & S. Augustinus epist. 68. vel juxta edit. noviss. 88.* Patre Constantino haud illiberalior filius Constantius paterna in Clericos beneficia non modo confirmavit, ut patet ex *l. 8. C. Theod. lib. 16. tit. 2.* sed admodum auxit, Clericos eorumque bona omnia non modo ab ordinariis, sed

ab extraordinariis etiam pensitationibus eximendo *d. lib. & tit. l. 10.* Verum hic ipse Imperator paulo post tam effusam, & late patentem liberalitatem, Clericorum avaritia vel vera, vel saltem prætexta offensus, restrinxit, Clericos sordidis & extraordinariis muneribus, eorumque bona patrimonialia ordinariis quoque oneribus subjiciendo, ut colligitur ex *l. 15. C. Theod. lib. 16. tit. 2.* Hujus tamen facti poenitens ante obitum suum aliam legem promulgavit, qua oneribus personalibus, & extraordinariis omnes imperii sui Clericos absolvit, professus religione magis firmari imperia, quam labore & industria hominum, *scientes, inquit, magis religionibus, quam officiis, & labore corporis, vel sudore nostram rempublicam contineri.* His vicissitudinibus deinceps objecta fuit Clericorum & Ecclesiarum immunitas tam *personalis*, quam *realis* sub Juliano Apostata, Valentiniano, Gratiano, Honorio, Theodosio, Justiniano, aliisque Imperatoribus, & Regibus, ut pluribus perhibent *ll. cc.* Thomassinus, & Pilatus, nec non Bernardus Van-Espen *J. E. V. part. 2. tit. 35. cap. 1.* & constat ex Capitularibus Regum Francorum, & infinitis eorum diplomatibus, *qua evidenter ostendunt* (concludit Bœhmerus *hic §. 51.*) **PROPRIO JURE Clericos per tot secula nullam immunitatem sibi attribuere potuisse.**

Aliter sentiunt ex nostratibus illi, 40 quibus cordi est Sacerdotium & imperium in concordiam reducere, & quæ sunt DEI, DEO, quæ Cæsaris, Cæsari reddere. Viri isti non politicis schematibus dementati, sed candore veritatis

M m m

tais

tatis persuasi, immunitatem Ecclesiarum Ecclesiasticarumque personarum tam personalem quam realem Juri Divino, tanquam fonti & origini suæ, adscribunt, in eo tamen à se invicem diversi, quod aliqui Jus Divinum hic strictius, alii laxius accipiant, hoc est, quod hæc immunitas aliis in *hypothesi*, aliis in *thesi* duntaxat à Jure Divino determinata fuisse videatur. Amici hujus dissidii authores relatos invenies apud Gonzalez ad cap. 8. de Judic. num. 10. § 11. & ad h. t. num. 8. Barbof. J. E. V. lib. 1. cap. 38. §. 2. num. 5. Dianam Resolut. moral. part. 1. tract. 2. Resolut. 1. de immunit. Eccles. § part. 4. tract. 1. Resolut. 44. utrique bene, quia Canonum patrocinio tuti loquuntur. Sic in Synodo Romana IV. sub Symacho Papa anno 502. habita leges Odoacris Regis libertati Ecclesiasticæ repugnantes eo ex capite reprobatae sunt, ne in exemplum remaneret præsumendi quibuslibet laicis, quamvis religiosis, vel potentibus, in quacunq; civitate quolibet modo aliquid decernere de Ecclesiasticis facultatibus, quarum solis Sacerdotibus disponendi indiscussæ à DEO cura commissa docetur. Refertur hic canon in cap. 1. dist. 96. in ipso vero fonte, sive Concilio tit. 4. Vid. tom. 5. Concil. edit. Venet. pag. 474. In Concilio Lateranensi V. sub Leone X. habito sess. 5. legitur: cum à Jure tam Divino, quam humano laicis potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa sit. V. tom. 9. Concil. edit. Venet. pag. 884. In Concilio Coloniensi 1530. celebrato part. 9. cap. 20. ita statutum fuit: Immunitas Ecclesiastica vetustissima res, Jure pariter Divino & humano introducta. Vid. tom. 19. Concil. d. edit. pag. 1277. Pa-

ria habentur in Concilio Frisingensi anno 1440. habito, quod allegat Gonzalez ad cit. cap. 8. de Judic. num. 10. & denique PP. Concilii Tridentini sess. 25. de Reform. cap. 20. expresse decernunt Ecclesiæ, & Personarum Ecclesiasticarum immunitatem DEI ORDINATIONE & Canonicis Sanctionibus constitutam esse. In eundem sensum rescripserunt Innocentius III. in cap. 30. de jurejur. & Bonifacius VIII. in cap. 4. de Censib. in 6.

Hanc immunitatis prærogativam, 41 ferre nequeunt heterodoxi. Objiciunt nobis S. Ambrosium, qui ingenue fateatur, Ecclesiæ agros omnes ordinariis tributis subjici. Si tributum petit Imperator (inquit orat. contr. Auxent. de tradend. Basilic.) non negamus; agri Ecclesiæ solvunt tributum &c. solvimus, quæ sunt Cesaris, Cesari, & quæ sunt DEI, DEO. Tributum Cesaris est, non negatur. Quod ipsum amplius ab exemplo Christi declarat in exposit. Evangel. Lucae cap. 5. num. 73. his verbis: magnum quidem est, & spirituale documentum, quo Christiani viri sublimioribus potestatibus docentur debere esse subiecti, ne quis constitutionem regis terreni putet esse solvendam. Si enim censum DEI Filius solvit, quis tu tantus es, qui non putes esse solvendum? Vid. utrumque textum relatum in cap. 27. & seq. C. 11. Q. 1. Quod si ergo Christus solvit tributum principi terreno, si agri Ecclesiæ, ipso Ambrosio teste, tributorum oneri obnoxii sunt, quomodo Pontifices, & Concilia Ecclesiæ, Ecclesiasticasque personas à tributis, à muneribus publicis Jure Divino immunis pronunciare poterunt? Hoc argumentum, sua quidem opinione satis

validum, nobis objicit Josephus Bingham antiquit. Eccles. volum. 2. lib. 5. cap. 3. §. 1. qui idem Baronium, quod hanc immunitatem Juris Divini esse asserat, grandis prævaricationis reum facit. Quid Bœhmerus de hac immunitate sentit? nihil minus, quam ex Jure Divino eam arcessendam esse contendit. Esse duntaxat beneficium Imperatorum, & ita unice ex jure humano petendam, Nihil hac sententia inquit ad b. t. §. 47. in antiquitatibus frequentius, nihil hac publica confessione apud antiquos Ecclesiæ proceres certius, quod Diplomata Ecclesiastica, monasteriorum privilegia, Regum Capitularia, & alia documenta publica, quorum copia hodie abundamus, docent, testanturque. uterque plausibiliter in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis Divina eludere, & orbi hodierno, ut nunquam magis antehac, facile credulo exquisita fraude imponere adlaborat.

42. Quod verba S. Ambrosii attinet, illa ex Thomassino part. 3. lib. 1. cap. 33. num. 13. explicata damus: „Sed non „nesciebat tamen Ambrosius, altiori „ab origine descendere, & inconcus- „sis niti fundamentis immunitatem „Ecclesiæ ab omnibus prorsus exactio- „nibus, & oneribus, ut quæ in unam „cum Christo personam coaluerit, in „eiusdemque filiationis, libertatis, im- „munitatis societatem adscita sit Ita „enim & Christus tributum solvit, & „à se exigi illud non potuisse simul con- „testatus est. Ita censet omnino Am- „brosius Ecclesiam Christi vestigia „lambentem, tributum, quod expri- „mitur solvere, & de sua sibi tamen „victus plaudere immunitate, ex Pon- „tificatus, & totius Sacerdotalis mini-

sterii prærogativa. Non solvunt tri-  
butum (verba sunt Ambrosii epist. 7.  
edit. nov. Paris.) quibus portio DEUS est.  
- - Ego nihil debeo Casari, quia nihil  
hujus mundi habeo. Nihil debet Petrus,  
nihil Apostoli mei, quia non sunt de hoc  
mundo, etsi in hoc mundo sunt. „Ita  
„ille negat deberi à Christo, à Christi  
„ministris tributum. A quibus solu-  
„tum esse, solutum iri non negat, vi-  
„tandi offendiculi causa. Sed tamen  
(sunt rursus verba Ambrosii d. epist.  
num. 18.) & ipsum perfectus, id est,  
predicator Evangelii jam non debebat,  
qui plus predicabat. Non debebat Fi-  
lius DEI, non debebat & Petrus in ad-  
optionem à patre adscitus per gratiam:  
sed NE SCANDALIZENTUR, inquit,  
VADE AD MARE, ET MITE HA-  
MUM, ET KUM PISCEM, QUI PRI-  
MUS ADSCENDERIT, TOLLE, ET  
APERTO ORE EJUS, INVENIES  
IBI STATEREM, ILLUM SUMENS  
DA IIS PRO ME, ET TE &c. „Ita  
„ergo persuasum erat Ambrosio, à  
„Christo, ab Ecclesia, à Clero tribu-  
„tum non deberi, sed tamen solvi;  
„sed tanto nobilius solvi, quod non  
„debeatur. Hæc Thomassinus, cui  
ex S. Ambrosio cit. exposit. in Luc. cap.  
5. num. 75. illud adjicimus, quod S. hic  
Pater verba ibidem posita: Si censum  
DEI Filius solvit, quis tu tantus es, qui  
non putes esse solvendum? non intelle-  
xerit de personis Ecclesiasticis, sed de  
laicis, ut patet ex verbis consequenter  
positis: & ille censum solvit, qui nihil  
possidebat: tu autem, qui seculi seque-  
ris lucrum, cur seculi obsequium non re-  
cognosceas? Cur te supra seculum qua-  
dam animi arrogantia feres, cum secu-  
lo sis misera cupiditate subjectus. Hæc

de Ecclesiasticis Ambrosium scripsisse quis prudenter sibi persuadeat? Videat ergo *Binghamius*, quam nihil ad scopum suum allegata verba Ambrosii faciant.

43 Quid Bœhmero respondebimus? fatemur, Ecclesias, Monasteria, ipsasque personas Ecclesiasticas variis privilegiis, immunitatibus & exemptionibus à Christianissimis Principibus fuisse donatas, & locupletatas, an vero exinde legitime inferitur, immunitatem Ecclesiarum non descendere ex *Jure Divino*, sed esse merum favorem Principum sæcularium? negat Bœhmerus, iterumque negat, quod Ecclesiæ, earumque bona DEO sint tradita, ac in ejus singulari dominio existant, nec tantumusu à rebus profanis sint separata, sed etiam proprietate. Videamus, an hanc traditionem, dominium, proprietatem Ecclesiarum Domino DEO disputent Imperatores. Ad Capitularia Francorum frequentius provocat Bœhmerus. En duo capita ex illis contra Bœhmerum producimus. In *Capitular. lib. 5. cap. 339.* quæ in *Corpore Jur. German.* novissime exhibet Heineccius pag. 1497. sic legitur: *Placuit, ne prædia cœlestium secretorum dicata, DEOQUE TRADITA à quibusdam aliqua occasione vexentur, aut invadantur, sed sub immunitatis tuitione perpetua firmitate perdurent.* Vides Bœhmere, bona Ecclesiis dicata, DEO tradita censeferi Imperatoribus? ulterius dictum Capitulum sic habet, *similiter & homines earum, & omnia, quæ eis subjecta esse noscuntur. Si quis contra hæc venerit, componat, sicut de immunitate constituimus, & pœnitentia publica à Sacerdotibus usque ad satisfactionem multetur.*

Quid hæc pœnitentia violatoribus immunitatis infligenda ad Sacerdotes, qui immunitatis jura propria non habent? vindicent ipsimet Imperatores ejusmodi temeratorum audaciam, qui non jura Ecclesiæ, sed Principum violârunt. Advertis Bœhmere, quid ex dictis Capituli verbis inferendum sit? Accipe aliud ex Capitulari Aquisgranensi apud dictum Heineccium pag. 649. cap. 3. *Præcipimus omnibus ditioni nostræ subjectis, ut nullius privilegia Ecclesiarum, vel Monasteriorum infringere, resque Ecclesiarum invadere, vel vastare, aut alienare, vel facultates earum diripere præsumat, nec sine præcaria possidere pertentet, quia, sicut à sanctis Patribus instructi sumus, gravissimum peccatum hoc esse dignoscitur, testante Sacra Scriptura, quæ ait: QUI ABSTULERIT ALIQUID PATRI, VEL MATRI, ET DICIT, HOC NON ESSE PECCATUM, HO MICIDII PARTICEPS EST.* Pater noster sine dubio DEUS est, qui nos creavit. Mater nostra Ecclesia, quæ nos in Baptismo spiritualiter regeneravit. Ergo NB. qui CHRISTI PÊCUNIAS, & Ecclesiæ fraudat, vel rapit, sive vastat, vel alienat, homicida ante conspectum justî judicis esse deputabitur. De quo quidam Sapientium dicit: *QUI RAPIT PÊCUNIAM PROXIMI, INIQUITATEM FACIT. QUI AUTEM PÊCUNIAM ECCLESIE ABSTULERIT, SACRILEGIUM FACIT.* Ex quo Capite luculenter patet, in bonis Ecclesiæ Dominium & proprietatem penes DEUM esse, idque ab Imperatoribus agnitum, suæque legis robore confirmatum fuisse. Non igitur errat, quisquis immunitatem Ecclesiarum tum realem, tum per-

sonalem in *Jure Divino*, ceu in suo fonte quaerit. Videatur Cl. P. Benedictus Schmier tract. de SS. Eccles. part. 2. disert. 2. art. 2. num. 12. Ceterum illud non evincit, immunitatem esse merum beneficium Imperatorum, aliorumque Principum saecularium, quod multa ejusmodi immunitatis privilegia laudati Imperatores Ecclesiis, Ecclesiasticisque personis concesserint. Hoc argumentum (ut probe advertit Eminent. Petra Comment. ad Constit. Apostol. tom. 3. pag. 517. num. 9.) probaret nimium: probaret enim, DEUM esse unum & trinum, & principaliora fidei nostrae mysteria esse inventum humanum, quia in Codice extat titulus de SS. Trinitate & fide Catholica hoc praescribens: item, quia Constantinus, & Phocas Romanum Pontificem supra omnes Episcopos & Patriarchas in orbe Romano recognosci mandarunt, ut notatur in cap. 14. dist. 96. concludendum foret, Primatum Romanae Ecclesiae à jure humano promanasse: sicut ergo praedicti Imperatores contra Constantinopolitanorum Patriarcharum tunc invalescentem arrogantiam Sacrae Sedis, tutelam suscipiendo, quae id temporis viribus adhuc imbellis se ipsam satis tueri nequiverat, Primatum Romanae Ecclesiae Divina lege sancitum duntaxat explicarunt, & sua auctoritate corroborarunt; ita legibus & constitutionibus circa immunitatem Ecclesiasticam latis novum privilegium non constituerunt, sed quod *Jure Divino* Ecclesiasticis personis concessum erat, uti executores declararunt, ut in toto Imperio observaretur, idque optimo jure, cum sub tutela & protectione Principum saecularium semper fuerit.

immunitas Ecclesiastica, ut clare innuunt PP. Concilii Tridentini cit. sess. 25. cap. 20.

Neque etiam illud officit Ecclesiasticae libertati, quominus *Juris Divini* esse dicatur, quod Imperatores nonnunquam leges in favorem Ecclesiarum latis revocaverint, immunitatemque à se concessam restrinxerint, aut penitus cassaverint, ut constat de Constantio, Juliano, Valente, & Justiniano. Non, inquam, officit; facta quippe haec erant, & attentata improbissimorum hominum, ait Petra pag. 319. num. 12. unde scribit Baronius ad annum 387. n. 13. neminem ex orthodoxis Imperatoribus immunitatem Ecclesiasticam violasse. Caetera, quae adhuc opponi possent, resoluta reperies apud Gonzalez ad cap. 8. de Judic. & ad cap. 4. h. t. Pro illustranda immunitatis materia lubet aliquas quaestiones cum suis resolutionibus subjungere.

Quaeres I. An Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis tributa, collectae, vel alia onera realia à Principibus, & Dominis temporalibus nullo unquam casu imponi possint? Huic quaestioni una responsione satisfieri nequit. Quapropter Resp. I. tributa capitis, vulgo *Kopf-Steuer* imponi non posse per l. 1. C. de Episc. & Cler. quia hoc genus contributionis praecise fundatur in subjectione personae, & speciem servitutis praesefert; unde etiam de jure civili rusticis duntaxat, non etiam plebi urbanae imponenda dicitur in l. un. C. de Capitat. civi.

Resp. II. Ecclesias, & personas Ecclesiasticas etiam à collectis, & steuris extraordinariis, quae necessitate urgente personis cum respectu ad facultates, &

M m m 3 pos-

possessiones imponuntur, immunes esse. Ratio est, quod exactio tributorum sit actus jurisdictionis, consequenter exercendus in subditos, quales non sunt Clerici respectu magistratus laici. l. 5. C. de SS. Eccles. l. 2. §. 2. C. de Episc. & Cler. auth. item nulla C. Eod. cap. 4. §. 7. h. t. cap. 1. Eod. in 6. cap. 4. de Censib. in 6. Clem. 3. Eod. novissime Bulla Cœna Domini §. 18. quibus addi potest Bulla Urbani VIII. edita 1641. 23. Septemb. quæ incipit: *Romanus Pontifex* &c. ubi etiam spontanea contributio sine speciali Sedis Apostolicæ venia invalida declaratur, non obstante tempore immemoriali, aut prætextu privilegii Apostolici, aut tolerantia inferiorum prelatorum, vel prætextu non factæ publicationis, aut receptionis Bullarum, & Constitutionum Apostolicarum. Non enim decet, ut Principes & Domini temporales, cum spiritualia ab Ecclesiasticis accipiant, etiam temporalia ab iisdem exigant.

47 Resp. III. Ab oneribus mere realibus absolute loquendo immunes non esse, quia tributa *ordinaria*, quæ rebus ipsis stabiliter imposita erant, ante quam ad Ecclesias devenirent, etiam expost facto ab iisdem solvenda sunt; transit enim res cum suo onere cap. 5. de Pignor. cap. 28. de Decim. l. 67. ff. de contrab. empt. cap. 22. §. 23. C. 23. Q. 8. Canisius in cap. 4. h. t. num. 4. Sperellus in Decis. for. Eccles. decis. 63. per tot. Barbof. J. E. N. lib. 1. cap. 39. §. 5. num. 57. Flavius Popeus tract. de libert. Eccles. cap. 15. §. 3. num. 3. intellige tamen de tributis certis, & actualiter impositis, antequam bona fierent Ecclesiastica, non vero de incertis onerationibus, vel reservatis & pro re nata pri-

um imponendis. Prout nec satis erit, quod res tales, dum adhuc laicales essent, in eum finem fuerint descriptæ, ut proportionaliter collectari possent in casu necessitatis, nisi saltem defacto certa quantitas in perpetuum à tota provincia vel territorio solvenda à Principe determinata fuerit. Felinus consil. 46. n. 18. Fagnan. in cap. 4. h. t. n. 10. intellige tamen responsum nostram superius datam de illis bonis, quæ non *fundationis*, aut *dotationis* titulo ad Ecclesias pervenerunt; bona enim dotalia Ecclesiæ ab omnibus oneribus realibus, & tributis laicalibus sive publicis, sive privatis immunita esse patet ex cap. 1. de Censib. & docet cum Hostiensis & Joan. Andrea Fagnanus ad cit. cap. 4. h. t. n. 8. Gonzalez *ibidem* num. 6. Van-Espen part. 2. tit. 35. cap. 2. num. 3.

Resp. IV. Principes, & Magistra-<sup>48</sup> tus sæculares neque quo ad bona Ecclesiastica de novo acquirenda statuta condere posse, ut Ecclesiastici vel instar laicorum onera communia supportent, vel talia bona intra certum tempus laicis iterum vendere, vel alienare teneantur, quidquid sit de facto, prout de aliquarum provinciarum praxi contraria testatur Zypæus Consult. 1. h. t. Probatur hæc assertio ex cap. 1. h. t. in 6. §. cap. 10. de Constitut. ubi statuta secularium, quæ personarum, & honorum Ecclesiasticorum mentionem faciunt, ipso jure nulla dicuntur, utpote quibus nulla de rebus Ecclesiæ disponendi sit data potestas. cap. fin. de reb. Eccles. alien. Concil. Trid. sess. 25. de reform. cap. 20. quod omnes similes canones in favorem libertatis Ecclesiasticæ contra ejus violatores innovavit, & d. Bulla Cœna Tuscus lit. S. Conclus. 609. num. 2.

Di-

49 Dicta etiam de bonis *patrimonialibus* personarum Ecclesiasticarum procedunt, ad quæ sæculo XI. immunitas *realis* extendi cœpit, ut constat ex Concilio Melphitano sub Urbano II. *Can. 11.* Concilio Narbonensi anno 1227. celebrato *Can. 12.* Tolosano 1229. *Can. 20.* Coloniensi 1266. *Can. 8.* & ex binis Conciliis Lateranensibus, quæ referuntur in *cap. 4. § 7. h. t.* Ratio est, quod imponere tributum sit signum subjectionis, & subditos respicit, quales non censentur Clerici respectu magistratus vel Principis sæcularis. Interim & huic juri per consuetudinem contrariam alicubi derogatum esse testantur AA. & in specie de Belgio Van-Espen *d. t. cap. 2. num. 13.* ubi bona *patrimonialia* Clericorum per omnia conditionem bonorum laicalium quoad onera rebus imposita sequuntur.

50 Resp. V. Posse Principes & Dominos sæculares Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis collectas & contributiones imponere. I. Si speciale privilegium, & expressa licentia S. Pontificis accedat. *cap. 7.* & ibi Barbof. *num. 3. h. t.* II. Si bona Ecclesiastica ab Ecclesia habeantur in feudum. *Gail lib. 1. Observ. 30.* prout dictum in *tit. de feud.* III. Si Princeps aliquis sæcularis in prima fundatione, & donatione bonorum immobilium alicui Ecclesiæ facta per expressum pactum collectas & tributa, vel jurisdictionem in illis bonis sibi reservaverit. *Molina tract. 5. de disp. 6. num. 6. arg. cap. 4. de condit. appos. cap. 6. de Donat. § cap. 2. de Jur. Patron.*

51 Quæres II. An in casu publicæ utilitatis, aut evidentis necessitatis vel pietatis v.g. ob bellum defensivum, aut

pro religione suscipiendum personæ Ecclesiasticæ ad contribuendum teneantur. Resp. teneri. Ita statuerunt jam olim PP. in Synodo secus Theudonis villam anno 844. habita *Can. 4.* his verbis: *Unusquisque vir Ecclesiasticus § intercessionis adjutorium, § solatii, quo respublica indiget, subsidium, juxta quantitatem rerum Ecclesiæ sibi commissæ, salvo jure, quod exinde Divinis dispensationibus debet impendi, prompte § ex animo parare, § impigre, sicut tempore antecessorum vestrorum consueverat, studebit offerre.* Ad hoc autem requiritur I. ut necessitas vel utilitas sit maxima, eaque tam Clericorum quam laicorum communis II. ut eidem sublevandæ facultates laicorum non sufficiant. III. ut omnis absit coactio. IV. & Papæ consensus adhibeatur, id quod colligitur ex *cap. 4. § 7. h. t.* nisi tanta foret necessitas, ut propter periculum moræ Papæ consensus expectari non posset, tunc enim Episcopi & Clerici tractatio sufficet. Vide Van-Espen *d. tit. cap. 3. num. 6. § seqq.*

Quæres III. An personæ Ecclesiasticæ etiam ad reparationem pontium, & viarum contribuere, item vectigalia, & similes exactiones solvere teneantur? Distinguunt aliqui, an exactiones hujusmodi præcisè propter lucrum Principis, & augmentum reddituum ejus fiant, an vero propter impensas in res ipsas faciendas, ut pontes v.g. & viæ publicæ conserventur. Priori casu cum exactio à persona sæculari fiat, non teneri volunt Clericos, secus posteriori, quasi onus hoc ex ipsa rei natura imponatur, nec subjectionem importet propter naturale illud principium: *quæ sentit commodum* &c. unde etiam per  
Ma-

Magistratum sæcularem indirecte cogi posse arbitrantur, prohibendo v.g. transitum, nisi vectigal, aut pedagium solvatur. Zypæus *ad h. t. consult. 1. §. itaque onera*. Zoësius *h. t. num. 3.*

53 Glossa vero in *cap. 20. §. juxta V. collationibus C. 16. Q. 1.* Joan. Andr. in *cap. 4. h. t. num. 14.* Panormit. *ibidem num. 18.* Molina *tract. 3. disp. 672. num. 4. conclus. 1.* non minus probabiliter negant indistincte, Clericos & Ecclesias cogi posse à Laicis ad ista onera communia. Exemptio hæc eruitur ex *d. cap. 4. §. 7. h. t.* ubi etiam de fossatis, & aliis exactionibus, quæ ad relevandas communes necessitates fiunt, liberantur. Idem confirmatur ex *cap. 1. h. t. in 6.* ubi mentio specifica de exactionibus fit. *Et d. auth. item nulla C. de Episc. §. Cleric.* Accedit ratio, quod, cum Ecclesiæ & Clerici inserviant communi utilitati, æquum quoque sit, ut gaudeant commodis communibus civitatis, sicut ergo milites, & Magistratus ab his oneribus eximuntur, ita conveniens quoque est, ut Clerici & Ecclesiæ eadem immunitate fruantur.

54 Quæres IV. An, si onera directe tantum Laicis injungantur, quæ tamen indirecte in Clericos redundant, ut, si venditoribus carniæ, mercium, vini, frumenti &c. certæ Gabellæ *Weinz Aufschlag, Tax* imponantur, ut exinde emptores etiam Clerici carius ejusmodi res emere cogantur, immunitas violetur? Resp. probabilius negative, quia non ita curantur, quæ in consequentiam, & indirecte fiunt, quam quæ directe: nec enim per hujusmodi impositionem gabellarum venditoribus factam Laici jurisdictio-

nem aliquam in Clericos exercent, cum nec ad solvendam gabellam cogant, nec ad emendum cariori pretio, nam & alibi adhuc libere emere possunt, licet forte minus commode. Aliud vero dicendum foret, si ipsis emptoribus certa Gabella solvenda imponeretur in emptione vini, frumenti &c.

Quæres V. Quid possit consuetudo in materia immunitatis? causam quærendi suppeditat notorius usus contrarius, nam passim videmus, non tantum ab emptoribus vini, etiam Ecclesiasticis, ejusmodi Gabellas exigi, sed alias etiam personas Ecclesiasticas variis exactionibus onerari, an mala fide id à principibus fieri dicemus, quod inveterato usu plurium regnorum, majorum exemplis firmato, dudum jam obtinuit? Resp. consuetudinem in materia immunitatis nullius omnino roboris esse, nec usum longissimi temporis immunitati contrarium eam diminuere, labefactare, aut extinguere posse. Textus expressi, talem consuetudinem tanquam corruptelam damnantes, sunt in *cap. 4. de Censib. in 6. cap. 8. de jud. cap. 14. de Elect. cap. 3. de Consuet. cap. 49. de Sent. excomm. Concil. Trid. Sess. 25. cap. 20. Auth. Cassa C. de SS. Eccles.* Accedit, quod huic consuetudini desit essentielle requisitum, scilicet consensus S. Pontificis, qui quotannis in Bulla Cænæ Domini ejusmodi consuetudines, immunitati Ecclesiasticæ inimicas, ut corruptelas damnat, & reprobat. Quod ipsum declaravit Urbanus VIII. in Bulla sua, quæ incipit: *Romanus Pontifex &c.* ubi damnat omnia facta, & facienda in præjudicium libertatis & immunitatis Ecclesiasticæ, etiam sub præ-

prætextu, vel Constitutionis Pontificiæ non fuerint publicatæ (intellige in particularibus locis) vel usu receptæ, vel contrario usu etiam decenniali, & quantumvis longissimo, ut prætenditur, abrogatæ.

Dices: S. Pontifex scit defacto multos principes istam immunitatem prædictis modis violare, & tamen pœnis Canonicis in eos non animadvertit: ergo tacite consentit, præsertim in Provinciis, ubi Legati, & Nuntii Apostolici degunt. Resp. nego consequentiam, quia id facit propter scandalum populi & alia mala graviora præcavenda, ex qua causa sæpius peccata dissimulantur, nec tamen tacite approbantur. *cap. 18. de Præbend. Barbof. in cap. 10. de Constit. num. 25. Panormit. Calderinus, & plures alii ibidem relati. Flavius Popeus tract. de libert. Eccles. cap. 13. num. 8.*

Neque ex eo consuetudinem hanc cohonestari existimes, quod annosa sit, quod passim obtineat, & principes timoratæ etiam conscientiæ eam non derelinquant, sed more majorum plura immunitati contraria hodieum decernant, & exequi faciant. Etenim, non quod sit, sed quid fieri debeat, etiam Principi spectandum est. *l. 12. ff. de Offic. Præsid.* Quodsi enim ex usu, vetustate temporis corroborato, mala desinerent esse mala, *simonia* jam non amplius inter nefanda flagitia foret reponenda, nec Clericis usus conjugii prohiberi, nec investituræ Ecclesiasticæ principibus sæcularibus abjudicari potuissent, siquidem hæc & illa prioribus sæculis impune exercebantur, Clericis, & principibus inolita consuetudine se tuentibus. Videatur noster Cl.

P. Ægidius Ranbeck in *Panopl. libert. Eccles. disput. 2. cap. 9. num. 21. & seqq.* Aliter de simili consuetudine sensit Gregorius VII. ad Guitmundum Episcopum Aversanum scribens: *si consuetudinem fortassis opponas, advertendum est, quod Dominus dicit, EGO SUM VERITAS, ET VITA. Non dixit, ego sum consuetudo, sed veritas. Et certe (ut D. Cypriani utamur sententia) quælibet consuetudo, quantumvis vetusta, quantumvis vulgata, veritati omnino est postponenda, & usus, qui veritati est contrarius, abolendus. Vid. cap. 5. & ult. dist. 8. similia habet S. Augustinus de Baptif. contra Donatist. lib. 3. cap. 6. & lib. 6. cap. 37.* Interim Principes nostros his verbis excusat Laudatus P. Ranbeck *d. cap. num. 26.* „Neque „Principibus nostris succensendum „arbitror, quorum per regna & pro- „vincias malum hoc damnatarum con- „suetudinum, & in immunitatem Ec- „clesiasticam sæde bacchantium impu- „ne grassatur: Principes nostri pii ma- „gnam partem & innoxii existunt, at „ministorum, & eorum, qui iisdem „à consiliis sunt, opera frequenter va- „pulant Clerici, & immunitas status „Ecclesiastici; quibus utpote jurispe- „ritissimis à deplorantibus libertatem „suam Clericis illud *l. 6. C. unde vi in* „aurem dici posset: *ne inde injuriarum nascatur occasio, unde jura nascuntur,* interim, dum nemini adulamur, sed veritatem, quam amamus, etiam scribimus, Clericos quoque illius moniti memores esse volumus, quod suggerit Van-Espen *cit. tit. 35. cap. 2. num. 52.* „Optimum itaque, & efficacissimum „medium, inquit, conservandæ im- „munitatis bonorum Ecclesiasticorum „erit,

N n n

„erit, si bona Ecclesiastica in usus Ec-  
 „clesiasticorum operantium in vinea-  
 „Domini, & ex iis moderate viven-  
 „tium, & alimenta pauperum, alios-  
 „ve pios usus impenderentur. Si enim  
 „hunc in usum bona Ecclesie impen-  
 „di viderent Principes, haud dubie  
 „non secus, ac majores ipsorum ad  
 „bona illa Ecclesie integra servanda in-  
 „citarentur: ubi e contra, dum ea in  
 „usus profanos contra fundatorum, &  
 „offerentium intentionem insumi con-  
 „spiciunt, parum existimant piaculi,  
 „dum ea in reipublica commoda con-  
 „vertunt, tuncque saepe locum habet  
 „illud vulgatum: QUOD NON CA-  
 „PIT CHRISTUS, RAPIT FISCUS.

56 Quæri hic etiam solet, an valeat  
 statutum Principis sæcularis, quo pro-  
 hibentur subditi bona *immobilia* ven-  
 dere, vel quocunque alio titulo domi-  
 nii translato in Ecclesias & Clericos  
 transferre? quod *legem amortizationis*  
 vocamus, ipsaque bona in Ecclesiam  
 translata bona *amortizata*. Macrius in  
*Hierolex. V. amortizatio*. Hæc quæ-  
 stio Sabbathina dici potest, sine poli-  
 tiorum offendiculo negative vix re-  
 solvenda. Nos interim resolutionem  
 nostram suspendimus, opportuniore  
 tempore eandem in peculiari disserta-  
 tione revelaturi.

37 Quæres VI. Quid juris circa one-  
 ra *personalia*, numquid etiam ab istis  
 indistincte personæ Ecclesiasticæ sunt  
 exemptæ? Resp. regulariter affirmati-  
 ve per Canones pro immunitate *reali*  
 allegatos, & l. 2. § 6. C. de Episcop. &  
 Cleric. auth. Item nulla *communitas* C.  
 Eod. Jason in l. 5. C. de SS. Eccles. Vide  
 Joseph. Bingham. d. lib. 5. cap. 3. §. 12.  
 & seqq. ubi varias ex Codice Theodo-

siano leges, hanc immunitatem firmantes, colligit, & explicat. Dixi tamen  
*regulariter*, quia in casu extraordinario  
 in defectum sæcularium, aut ubi peri-  
 culo alias satis occurri non posset, Cle-  
 rici quoque ad munera personalia v. g.  
 excubias, & defensionem civitatis &c.  
 tenentur per cap. 2. b. t. nam, ut ait  
 S. Ambrosius lib. 1. de Offic. cap. 27. re-  
 latus in cap. 5. C. 23. Q. 3. *fortitudo,*  
*quæ vel in bello tuetur à barbaris pa-*  
*triam, vel domi defendit infirmos, vel*  
*à latronibus socios, plena justitia est.*

Porro extra hunc casum maximæ  
 necessitatis propter transitum Principis  
 proprii ad expeditionem bellicam per-  
 sonæ Ecclesiasticæ ad operas, & an-  
 garias nec per se, nec per famulos, &  
 equos suos præstandas, v. g. annonam,  
 arma &c. subvehendo cogi possunt.  
 ca. 4. h. t. Auth. *item nulla* § l. 2. C. de  
 Episc. & Cleric. nisi forte angaria ista  
 ratione feudi deberentur, quo tamen  
 casu ad servitia militaria in propria per-  
 sona præstanda non tenebuntur, sed  
 satis erit, per substitutum militare, vel  
 copiis & pecuniis domino directo assi-  
 stere, ut in tit. de feud. dictum est.

Similiter cogi non possunt Clerici, 59  
 ut hospitium præbeant militibus, vel  
 iudicibus laicis in domibus suis cap. 1.  
 b. t. l. 1. C. de Episc. & Cleric. licet pa-  
 trimonialis domus fuerit. Barbof. J.  
 E. V. lib. 1. cap. 39. §. 5. num. 70. si enim  
 immunitas hæc competit militibus ar-  
 matae militiæ l. 10. §. 2. ff. de Vacat &  
 excus. mun. Medicis quoque ac legum  
 Doctoribus l. 6. C. de Professor. & Me-  
 dic. Grammaticis, Oratoribus, & Phi-  
 losophiæ Professoribus, Decurioni-  
 bus, & Silentariis cit. ll. § l. 3. C. de  
 Silentiar. quanto magis hoc privile-  
 gium

gium Ecclesiarum, & Clericorum domibus competere debet.

60 Postremo nec ad officia, & munera publica, uti susceptionem tutelæ, curæ, defensionem viduarum, gubernationem hospitalium, executionem testamentorum &c. & similia statum Clericalem minus decencia regulariter cogi posse videntur arg. *l. 2. C. de Episc. & Cleric.* ubi generaliter Clerici ab omni tutela, etiam legitima, ipso jure immunitatem habent. Quodsi tamen Clerici similia munera pietatis sponte & zelo bono obire velint, id etiam sine licentia Episcopi facere possunt. *Narr. Consil. 1. ad tit. Ne Clerici, vel Monachi num. 2. Pax-Jordan d. lib. 11. tit. 3. num. 113.*

61 Quæres VII. & ultimo, Quas pœnas incurrant immunitatem violantes? Resp. per *cap. 4. §. si autem h. t.* illos, qui collectas imponunt Ecclesiis, vel Clericis, pœnam excommunicationis ipso facto incurrere, si communiti non desistant, nec communioni fidelium prius restitui posse, quam satisfecerint. *Panormit. ad cit. cap. num. 7.* Deinde

*in cap. 7. h. t.* statutum est, ut Rectores communitatis propter ejusmodi collectionem excommunicati, deposito quoque officio suo, excommunicati maneant, nisi satisfecerint, imo & successores eorum, si intra mensem non satisfecerint ex communibus scilicet bonis communitatis, vel inducendo eos ad satisfaciendum, quibus collectæ illæ applicatæ fuere. Uterius in *cap. 3. h. t. in 6.* Bonifacius VIII. pœnam excommunicationis ipso facto incurrendam in laicos à Clericis collectas, vel tallias, suorumque proventuum portionem exigentes, recipientes, consilium, vel auxilium præstantes, quin & in ipsos Clericos sub quocunque prætextu, & colore mutui, subventionis &c. absque Sedis Apostolicæ autoritate solventes, eandem pœnam excommunicationis Sedis Apostolicæ reservatam decrevit, quæ tamen pœna eatenus mitigata fuit in *Clem. un. h. t. & Extravag. un. Eod. inter commun.* ut sponte dantes, & ab iisdem recipientes hoc fulmine non percellantur. Prolixius has pœnas explicat *P. Reiffenst. h. t. §. 11.* quem consule.

## TITULUS L.

*Ne Clerici, vel Monachi Sæcularibus negotiis se immisceant?*

Cum præcipua causa concessæ immunitatis, maxime personalis, fuerit, ne Clerici vel Monachi curarum temporalium spinis implicati à Divinis obsequiis avocentur, ut habet *l. 2. C. Theod. de Episc. & Cleric.* & constat ex Epistola Constantini M. ad Anulinum Africæ præfectum scripta apud